DE GRADIBUS COGNATIONIS: SIVE NATURALIS, NATIVITATE: SIVE SPIRITUALIS, ...

Jean Raveneau







DE GRADIBVS COGNATIONIS: SIVE

NATVRALIS, NATIVITATE: siue spiritualis, baptismo & confirmatione: siue affinitatis, adiecta delineatione arborum.

Breuis, succincta, & facilis declaratio.

Sapientissimis, Sacræ Theologiæ facultatis Parisiensis Doctoribus.

Auctore IOANNE RAVENEAV, *Aduocato & Iurium Professore Parisiensi.*





PARISIIS,

Anno, M. D. C. XXX.



SANCTISSIMO COLLEGIO, VENERABILIVM DOCTORVM SACRATISSIMÆ FACVLTATIS

Theologiæ, Almæ vniuersitatis Parisiensis, integritate morum, bonarumque artium encyclopedia & cognitione, commendatissimorum,



Audabili consuetudine, legis vicem, secundum Iurisconsultorũ placita, habente, l. 33. & 34. ff. de ll. communi sapientum calculo receptum est, vt qui in publicum, diligentiæ specimen aliquod, producunt: præfationum auspicia, præmittant, l. 1. ff. de orig. Iur. Dedicationibus adiunctis, quarum patrocinio, studia sua commendari sperant, vt

inuidorum spicula, Criticorumque, qui instar Aristarchi, de omnibus rebus, etiam incognitis, virgulam censoriam sibi rapiunt, temeritatem effugiant.

Decreueram vero, typis calcographicis nusquam committere, qualemcumque hunc laborem, breuibus contentum chartis, veritus, ne inter tot interpretum iuris, eruditissima monumenta, nullum inueniret locum: Nisi, *vir quidam plurimæ eruditionis, & litteraturæ atque in hac disciplina, peritissimus* (cui eo consilio commiseram emendandum & corrigendum, si quid reperiret, vel vna deleret litura, si ipsi videretur) *albo cãdidoque notasset calculo, omniaque præter spẽ, feliciora retulisset, vt tanti viri iudicio, animus, fuerit mihi adauctus, cum nec indigna putauit, quæ publice, proponerentur.*

Supererat, vt aliquos inuenirem, quorum patrocinio, primaria hæc nostræ diligentiæ specimina, tuto prodirent in publicum.

Nulli autem alij, dignius à me seligi poterunt, quam Illi, *quos mater nostra Ecclesia Romana, agnoscit, aduersus hæreticam prauitatem indefessos defensores, veritatis fideles assertores, vitiorum acerrimos oppugnatores, malleos hæreticorum firmissimos,*

quibus retunditur peruicax, hostium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, procacitas:

Qui vt instar Athlâtis vel Anceladi onus, summam fidei Christianæ, sincera doctrina, seruatis; vt sæpius in periculosissimis hæreticorum incursibus, vestra consilia, Christi Domini, Vicarij, *Principisue Apostolorum successores, Romani Pontifices, ne* (visa titubare Ecclesia) *mergeretur, præsentissima cognouerint.*

Sub *ergo vestri ordinis communi nomine, hunc de gradibus cognationum tractatum, adiectis arboribus cognationis non solum naturalis, verum etiam spiritualis, ex baptismo & confirmatione, atque affinitatis, prodire, volui, & debui.*

Volui *quidem, quia hoc quod propono subiectum,* vobis *potius, quam cuicumque peregrino illius iuris, in diuinis non solum exercitatissimis, sed etiam in Pontificiis sanctionibus, cumulatissime, eruditis, non potest, non esse perspectissimum, atque acceptissimum.*

Quandoquidem, ita dilucide computationis graduum, siue cognationis naturalis, siue affinitatis, obscura & intricata difficultas omnis, quæ reperitur in collateralium suppu-

ratione inter Ius Pontificium & Ciuile, declarata, atque sublata, reperiatur, ita ut in posterum, nullus videatur, superesse scrupulus.

Debui, *vero propter reuerentialem illum amorem. quo quisque bonus, religiosissime, vos prosequi debet.*

Quocirca, has vigilias & lucubrationes, erga vestrum, de religione, deque republica Christiana, benemeritum ordinem, honoris ac deuotissimi studij nostri, argumentum, obseruantiæ perpetuæ monumentum, subiicio, quatenus sano vestro, & incorrupto iudicio, ab inuidorum maledicentia, atque lingua mendaci, vindicetis.

Vobis omnibus
deuotissimum.

IOANNEM RAVENEAV.

Humanissimo Lectori.



VOD refert D. Hieronimus, epistola ad Præsidium, & epist. contra vigilantium, atque in expositione symboli, statim initio, *eum qui docet & scribit, multos sumere iudices*, atque mastiges, videbatur me à præsenti stylo scribendi dimouere, atque retrahere, iure merito debuisse. Verum vtilitatis publicæ, casto amore excitatus, amicorumque efflagitatis rogationibus, obsecundaturus, decreui typis calcographicis committere de gradibus cognationum, tractatum, stylo non ineleganti, methodo facili, declaratione succincta. nec obscura, neque à maiorũ nostrorum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide, habẽs aliquid cõtrarium; obseruatis rationibus iuris Pontificij, & reformatione à sacro sancta synodo Tridẽtina, proposita circa personas quæ ex cognotione spirituali, per baptismũ, vel confirmationem, matrimonio iungi, vetantur aut permittuntur.

Sed cum ab æmulis hesiodianis, pro eorũ peruicaci inuidiæ, aliorum carpi studia, sæpius contingat, non paruis elucubrata vigilijs, illis opponam, quod pulchre aliquando, in simili lusit Martialis.

Ecce rubet quidam, stupet, oscitat, odit
Hoc volo nũc nobis, carmina nostra placẽt.

Quibus vice nostra respondebit, idem beatissimus Hieronimus in prologo paralipo-

menān, circa finē, *in publico*, inquit, *detrahentes, in angulis libenter legunt, in alijs probantes, quod in me reprobant, quasi virtus & vitium, nō in rebus sit, sed cum auctore mutetur.* Si autem hæc tibi placuisse, pro comperto habuero, alia propediē partim eiusdem argumenti, vel ex ipso iure Romano, vtilitatis & eruditionis monumenta accipies.

Ad libellum.

I. Liber, & tenebras, atque alta silentia rumpe,
Sit procul hinc semper, qui latuisse velit.

Ad Lectorem.

Hæc monumenta tibi, nō sunt lacerāda, benigni
Ingenij, Lector, *qualiacumque boni.*

Ad Raueneau-Mastigem, è famulitio leguleium emersum.

Inuida mens nostris, cur vis te inmergere rebus
Curque meum, tetro lumine, cernis opus?
Siste gradum, liuidosque in cassum ringere dentes
Desiste, & rabidum spargere, parce virus.

Labor pro patrimonio.

INDEX



A

B

C

5.

F

G

L

S

T

V

FINIS.



ARGVMENTVM OPERIS.



CVM sæpe, fiat in iure mentio, de gradibus cognationum, secundum quos Agnati, vel cognati, in successionibus & tutelis legitimis, præferri solent, vel matrimonio copulari possunt, aut vetantur. Ei ergo, qui iuris siue diuini siue humani peritus esse desiderat, necesse est, recte cognatorum gradus cognoscere, l. ICtus 10. ff. 38. de grad. & affinib.

Primò, quatenus scire possit, ad quos vsque gradus, matrimonij extendatur prohibitio, cap. non debet, ē, de consang. & affinit.

Secundò, vt cognoscatur, quis legitimam defuncti, intestato mortui, hæreditatem, proximitatis iure, sit adepturus. Communiter enim dicitur, *proximiorem gradu, potiorem esse iure, & remotiorem excludere à successione*. §. si plures, Instit. de legit, agnat. succ. l. pronuntiatio 193. §. familiæ. vers. in res, ff. de verb.

sign. nou. 118. de hæredib. ab int. ven. §. cõsequens, verſ. ſin autem, coll. 9.

Idem, In bonorum poſſeſſione adipiſcenda l. 2. §. gradatim ff. vnde cogn. d. l. ICtus 10. ff. de gradib.

Tertiò, ratione legitimarum tutelarum, & curationum, ; Nam tutela, ſicut hæreditas, proximiori agnato, defertur, d. l. ICtus in princ. l. quo tutela 73. ff. de reg. iur. auth. ſicut hæreditas. Cod. de legit. tut. §. ex his in d. nou. 118. de hæred. ab int. ven. coll. 9.

Quarto, quia ratione conſanguinitatis, in certis gradibus, inter conſanguineos & affines, teſtimonium non recipitur, vt inter rectilineos, in infinitum l. parentes 6. Cod. de teſtib. l. in teſtamento, §. per contrarium l. teſtis idoneus 9. ff. de teſtib. hinc placito Senatus Pariſienſis, Auiam, contra nepotem, cogi minime poſſe, teſtimonium dicere, iudicatum fuit, die 6. Sept. anno 1519. vt habet Anneus Robertus lib. 2. rerum iudicat. cap. finali in margine.

Quaſi idem, inter collaterales ſeruatur, in quantum inuiti non coguntur, teſtimonium dicere, ſed tantum volentes d. l. Ictus, ff. de gradib. cap. licet, ë, de teſtib. cap. vlt. ë, de appell. auth. preſbiteros Cod. de Epiſc. & cler. *Quidam*. autumant, teſtimonij pro vel contra eos qui ſanguine nobis coniunguntur, reprobatam eſſe relationem, in iiſdẽ caſibus, in quibus Regia conſtitutio bleſenſis nouiſſima, art. 117, eoſdem Iudices eſſe,

prohibuit, veluti inter rectineos, siue parentes & liberos, in infinitum, Item inter generum & socerum vel socrum, fratres, leuiros, patruos, auunculos, , ex eisque nepotes, consobrinos, & ex eis genitos: Refert Maynardus 4. quæst. cap. 92. id obseruari Tholosæ, ad 4. vsque gradum, vid. Anneus Rob. loco prælaudato.

Quotuplex sit cognatio.

Cap, I.

PRoponitur triplex in iure cognatio, naturalis videlicet, legalis, & canonica.

Quid sit cognatio naturalis. Cap. 2.

COgnatio *naturalis*, id nomen sortita fuit, ex copula & natiuitate carnali, vt *Spiritualis* natiuitate spirituali, seu, coniunctione animarũ, mediante Deo in baptismo & confirmatione: *Et ciuilis*, adoptione alicuius in filium, quæ Ciuilis, cum moribus Galliæ recepta minimè sit, illius declarationem iure omittemus.

Cognatio naturalis, vt generaliter accipitur, comprehendit, tam agnationem, quã cognationem specialem, d. l. Ictus §. 1. & 2. ff. de gradib. Quia, omnes homines inter se natura colligati, & coniuncti, dicuntur cognati.

Deffinitur primò, Quædam personarum cohærentia, quæ per generationes contracta, ex eodem sanguine constat, cuius sanguinis communione, altera persona, alteri coniuncta est.

Secundò. Vinculum dicitur esse personarum, ab eodem stipite descendentium (& ita distinguitur ab affinitate, quæ est, quidem vinculum personarum, sed non consanguinitas) carnali propagatione contractum; Et sic distinguitur ab adoptione & cognatione spirituali l. non facile 4. ff. de gradib. l. 1. ff. vnde cognati.

Quid & quotuplex sit linea. Cap. 3.

LInea, deffinitur limes, quo ordines cognationum, cognoscuntur: vnde cognatio, est tota proximitas, linea vero, est proximitatum separatio.

Tres sunt in cognatione lineæ, superior, inferior, & collateralis, in quarum qualibet, plures sunt gradus, l. 1. in princ. ff. de gradib. & affinib.

Superior, complectitur ascendentes siue parentes. *Quo* nomine (scilicet parentum,) intelliguntur omnes ascendentes vtriusque sexus vsque ad tritauum, l. appellatione 51. & ibi Alc. ff. de verb. signif. Supra quem tritauum, si qui vlteriores reperiuntur, vocantur *Maiores* Gallis, *ancestres*, l. stemmata 9. & d. l. Ictus §. parentes ff. de gradib.

Inferior, est descendentium seu liberorum. Quo nomine, comprehenduntur omnes descendentes vsque ad trinepotem; cæteri, vocantur, *posteriores*, Gallis, *nos nepueuz*.

Collateralis, seu transuersalis, est, eorum qui ex eadem stirpe, seu communi parente, geniti sunt, vt fratrum, sororum, patruorũ. auunculorum, & ex illis, descendentium, l. 1. ff. de grad. Gallis, dicuntur *parents*.

Quæ linea collateralis, rursus alios habet ascendentes, vt patruos, amitas, auunculos, materteras, & similes. *Alios*, descendentes, vt fratrum & sororum filios, siue ex fratrib. & sororibus nepotes, &c.

Linea directa, seu superior & inferior, seu ascendentium & descendentium, primũ habet gradum, vtroque iure, transuersalis vero non habet iure Ciuili, sed à secundo incipit, licet habeat iure Pontificio.

Ratio diuersitatis est, quod in superiori linea, siue cognatione, sunt ascendentes, seu parentes, ex quibus cognatio collateralis, & is dequo quæritur (*Petrucius* communiter appellatus) deriuant, vt frater & soror, & Petrucius ille (de cuius successione, tutela, cognatione, &c. quæstio fieri potest) ex iisdem patre & matre, descendunt, item, patruus & idem Petrucius, ex eodem auo, &c.

Ig. Petrucius, primò gradu numeratur, frater secundo, fratris filius tertio, &c. *Quot* enim personæ in illis numerantur, vna dempta, tot gradus esse dicuntur. Siquidem Pe-

trucius ille, ad seipsum in gradu non est, quia sibi ipsi cognatus dici non potest, sed eius cognatio per gradus dinumeratur; Et ita si Petrucius confertur cum patruo, & eius progenie, pater erit in primò gradu, auus in 2. ex quo auo, velut ex stirpe, tam Petrucius quam patruus descendunt, & sic a latere primus gradus esse nequit: Quod iure Ciuili, & propter successiones locum habet, quia in his vna tantum persona consideratur, de cuius successione agitur: Iure vero Pontificio, & propter matrimonia in quibus duæ personæ considerantur (quæ, duo esse dicuntur in carne vna) fratres & sorores, in primo sunt gradu, itaut ab eo gradu, quoad nuptias, incipiat collateralis cognatio.

De nomine graduum. Cap. 4.

PER translationem, gradus, hic dicuntur, ad similitudinem scalarum, Cuiac. 6. obs. 40.

Deffinitur gradus, ascensus ab inferioribus personis ad superiores, & descensus à superioribus ad inferiores.

Quia in graduum seu cognatorum dinumeratione, de proximo in proximum, seu in eum, qui quasi ex eo nascitur fit transitus; Ideo, quot sunt transitus in remotiores, tot sunt gradus d. l. Ictus 10. §. hactenus ff. de gradib.

Cum autem quo quisque gradu alteri

fit, noſcere volumus, ſupponenda eſt tertia perſona, de cuius cognatione quæritur, ad quam perſonæ cognatæ, quæ numerantur, referuntur, vt, aſcendentes ſunt, qui Petrucium genuerunt, deſcendentes, qui ab eo geniti ſunt, & ſic inter patrem vel matrem (qui ſuperiores ſunt) filium vel filiam (qui ſunt inferiores) ponitur perſona interpoſita, nempe Petrucius & Petrucia, quorum reſpectu, pater & mater, in arbore, primo gradu, in linea ſuperiori ſunt; filius filia, primo gradu in linea inferiori.

De numero perſonarum, quæ in ſingulis continentur gradibus. Cap. 5.

APVD Iuſtinianum, tit. 6. de gradib. cognationum, ſex proponuntur gradus, cum in l. Ictus 10. ff. de grad. & affinib. ſeptem referantur.

Primò gradu cognationis, quatuor reperiuntur perſonæ, numero differentes, l. 1. §. primo gradu, & d. l. Ictus 10. ff. de grad. Paulus 4. ſentent. §. 1°.

In ſuperiore quidem linea pater & mater: *Quorum* appellatione, auus & auia non veniunt, præſertim in materia odioſa, Bart. in l. liberorum §. 1. ff. de verb. ſignif. ſecus in caſu fauorabili, in quo patris nomine, auus ex interpretatione intelligitur l. iuſta interpretatione 201. ff. de verb. ſignif.

In inferiore vero linea, filius & filia, qui

plures quidem, esse possunt, d. l. Ictus, §. 1°. sed tamen cum non differant, non augent numerum.

Quibus iure pontificio, addi potest frater vel soror, vt sic essent quinque personæ, ex rationibus præallegatis: *Verum*, quia in arbore consanguinitatis vtriusque iuris, supputationis diuersitas, arithmeticis notis connotatur, ea propter, Iustinianum & leges sequemur, in referendis personis, quæ in singulis gradibus esse dicuntur.

Secundo gradu, sex personæ, à Iustiniano numerantur, quæ duplicatæ, sunt duodecim, d. l. 1. §. 2. & d. l. Ictus, §. secundo gradu, ff. de grad. & affin.

In linea superiori, duo sunt aui, paternus nempe, & maternus, totidemque auiæ, paterna videlicet, & materna, in linea inferiore, duo sunt nepotes, vnus ex filio, alter ex filia, & duæ neptes, vna ex filio, altera ex filia.

In linea transuersali, duo sunt fratres; vnus consanguineus, siue paternus, alter vterinus, siue maternus, totidemque sorores, vna consanguinea, altera vterina.

Nam Iure Ciuili, vt dictum est, secundo gradu, dinumeratio tantum fit eorum, qui sunt a latere, quia trans versalis linea, eo iure ciuili, primum gradum non habet.

Not. est, sororis appellatione, nunquam intelligi fratrem, quia genus femininum, nunquam masculinum concipit. *Nec fratris* appellatione,

appellatione, ſororem ſignificari proprietate ſignificationis, vocabuli fratris, ſed cum ratio eadem ſubeſt, fratris appellatione, venit ſoror l. tres fratres ff. de pactis.

Tertiò gradu, Iuſtinianus, refert decem perſonas, quæ multiplicatæ, numerantur triginta duæ.

Octo videlicet, in ſuperiori linea, duo proaui paterni, totidemque materni; duæ auiæ paternæ, totidemque maternæ.

In linea inferiori octo perſonæ, pronepotes duo ex filio, totidemque proneptes duo pronepotes ex filia, totidemque proneptes.

In linea collaterali, ſexdecim, nempe octo collaterales deſcendentes, videlicet ex fratre conſanguineo progenitus & progenita, ſiue nepos neptis, ſiue fratris filius, filia; *Ex ſorore* conſanguineá, progenitus progenita, ſiue nepos neptis, ſiue ſororis cõſanguineæ, filius filia. *Ex fratre* vterino progenitus progenita, ſiue nepos, neptis, ſiue fratris vterini, filius filia, totidẽque, ex ſorore vterina.

Similiter octo collaterales aſcendentes, ex parte patris, duo patrui, ſcilicet patris frater conſanguineus, & frater vterinus, totidemque amitæ: Item *Ex* parte *matris* duo auunculi, nempe matris *Frater* cõſanguineus, & frater vterinus, totidemque *materteræ* d. l. ICtus.

Not. obiter eſt, vocem græcam θεῖος tam patruum, quã auunculum, & vocẽ θεία, tam amitam, quam materteram, ſignificare. d. l. ICtus.

Quarto gradu, Iustinianus pauciores enumerat personas, quã in eo colligi possint, quandoquidem octuaginta reperiantur.

In superiori quidem linea, sexdecim personæ, quatuor nempe abaui paterni, totidéque abauiæ: quatuor abaui materni, totidéque abauiæ.

In linea descendenti, sexdecim etiam reperiuntur personæ, quatuor nempe abnepotes ex filio, totidéque abneptes: ex filia quatuor abnepotes, totidemque abneptes.

In collateralibus, numerantur quadraginta octo personæ, in collateralibus descendentibus sexdecim, ex parte nempe agnatorum, duo fratres patrueles, duæque sorores patrueles: duo fratres amitini, totidemque sorores amitinæ.

Ex parte vero cognatorum, duo consobrini, totidemque consobrinæ, ex duobus auunculis, duo consobrini, totidemque consobriuæ, ex duabus materteris.

Ex parte collateralium ascendentjum, sex decim, quatuor nempe patrui magni, totidéque amitæ, quatuor auunculi magni, totidéque materteræ magnæ, d. l. ICtus §. quarto gradu. ff. de gradib. & affinib.

Consobrini autem appellationem, certũ est, dubiam esse. Quia proprie consobrini dicuntur, qui ex duabus sororibus nati sunt, quasi consororini, abusiue tamen & vulgo, ex fratribus nati, etiam consobrini vocantur, cum alias, proprie, fratres patrueles, appellentur.

Not. præterea est, patrui simpliciter pro-

lati appellatione, nõ venire ex propria significatione, patruũ magnũ, sed per interpretationẽ, ex ratione l. Iusta. 201. ff. de verb. signif.

Quinto gradu, pauciores numerat personas Iustinianus, quam numerari possint, referuntur enim centum nonaginta duæ, & d. l. ICtus, §. quinto gradu, ff. de gradib.

In Relictineis ascendẽtibus, triginta duæ personæ reperiuntur, sexdecim videlicet Ataui, totidemque atauiæ; nempe, octo Ataui, totidemque Atauiæ ex parte Agnatorũ: siue patris: octo Ataui, totidemque Atauiæ, ex parte cognatorum, seu matris.

Seu, quod idem est, quatuor Abaui cõsanguinei, totidemque Abauiæ cõsanguineæ patris, quatuor Abaui vterini, totidemque abauiæ patris: quatuor Abaui consanguinei, totidemque Abauiæ cõsanguineæ matris, quatuor Abaui cognati, totidemque Abauiæ cognatæ matris.

In Relictineis descendentibus, etiam triginta duæ personæ reperiuntur, nempe, octo atnepotes, totidemque atneptes ex filio: octo atnepotes, totidemque atneptes ex filia.

In collateralibus, reperiuntur centum viginti octo.

Nempe octo pronepotes, totidẽque proneptes fratris, octo pronepotes, totidemque proneptis sororis.

Quatuor, patrui nepotes, totidemque neptes, *Gallis, Cousins remuez de germain, ou, Cousins seconds.*

Quatuor amitæ nepotes, totidemq; neptes,

Quatuor auúculi nepotes, totidéq; neptes

Quatuor, matertera nepotes, totidemque neptes.

Ex patruo magno, propiores sobrini quatuor, totidemque propiores sobrinæ.

Ex Amita magna, quatuor propiores sobrini, totidemque propiores sobrinæ.

Ex Auunculo magno, quatuor propiores sobrini, totidemque propiores sobrinæ.

Ex matertera magna, quatuor propiores sobrini, totidemque propiores sobrinæ.

Octo propatrui, totidemque proamitæ.

Octo proauunculi, totidéq; promaterteræ.

Aduertendum est, propium sobrino, sobrinæue, ad personam hypotheticam, vt Petrucium, de cuius nempe cognatione quæritur, consobrinũ esse patris Petrucij, & huius filiũ, sobrinum esse personæ illius hypotheticæ, & sobrinos esse, qui ex consobrinis, seu, patruelibus nati sunt; vnde cõstat, cur propior sobrino, dicatur. Cum ex eo nascatur sobrinus, qui vno gradu, propior est in linea patrui, siue auunculi magni, Amitæ siue materteræ magnæ.

Sexto gradu, pauciores quoque recenset Iustianus personas, quandoquidẽ in d. l. ICtus, in §. sexto gradu ff. de gradibus, dicũtur esse, quadringentæ quadraginta octo personæ, in quoquidem gradu, septem personarum species referuntur, & in singulis sexaginta quatuor personæ numerantur.

Imprimis in Rectilineis ascẽdentib⁹ sexdecim Tritaui, totidemque tritauiæ, ex parte patris.

Sexdecim tritaui,totidemque tritauiæ ex parte matris.

2°. In Rectilineis descendẽtibus, sunt sexdecĩ trinepotes, totidẽq; trineptes ex filio.

Sexdecim trinepotes, totidemque trineptes ex filia.

3°. Ex fratre consanguineo, octo abnepotes, totidemque abneptes.

Ex sorore consanguinea, octo abnepotes, totidemque abneptes.

Ex fratre vterino, octo abnepotes, totidẽque abneptes.

Ex sorore vterina, octo abnepotes, totidemque abneptes.

4°. *Patrui*, octo pronepotes, totidemque proneptes, *Amitæ*, octo pronepotes, totidẽque proneptes *Auunculi*, octo pronepotes, totidemque proneptes, *materteræ*, octo pronepotes, totidemque proneptes.

5°. Patrui magni, octo nepotes, totidemque neptes.

Amitæ magnæ, octo nepotes, totidemque neptes.

Auunculi magni, octo nepotes, totidemque neptes.

Materteræ magnæ, octo nepotes, totidemque neptes.

6°. Octo propatruorum, octo filij, totidemque filiæ.

Octo proamitarum, octo filij, totidemque filiæ.

Octo proauunculorum, octo filij, totidemque filiæ.

Octo promaterterarum, octo filij, totidemque filiæ.

7°. Sexaginta quatuor sunt personæ, nempe, sexdecim propatrui magni, siue patrui maximi, totidemque Amitæ maximæ.

Sexdecim proauunculi magni, siue auunculi maximi, totidemque matertera maxime d. l. ICtus. ff. de gradib. *Tritauus* dicitur, quasi tertij aui auus, nam auus est, abaui, qui patris tertius est auus.

In septimo gradu, continentur mille viginti quatuor personæ d. l. ICtus 10. §. septimo gradu, ff. 38. de grad. & affinib.

1°. In Rectilineis ascendentibus, centum viginti octo maiores, masculi quidem sexaginta quatuor, fœmine totidem.

Nempe triginta duo maiores agnati, totidemque maiores fœminæ, agnatæ, siue per patrem.

Triginta duo maiores masculi cognati, totidemque maiores fœminæ cognatæ, siue per matrem.

2°. In Rectilineis descendentibus, sunt centum viginti octo inferiores, seu posteriores.

Nempe triginta duo inferiores masculi, totidemque inferiores fœminæ per filium.

Triginta duo inferiores masculi, totidemque inferiores fœminæ, per filiam.

3°. Ex fratre Patrucij, triginta duo trinepotes, totidemque trineptes.

Siue, ex fratre consanguineo Petrucij, sexdecim trinepotes, totidemque trineptes.

Ex ſorore conſanguinea, ſexdecim trinepotes, totidemque trineptes.

Ex fratre vterino, ſexdecim trinepotes, totidemque trineptes.

Ex ſorore vterina, ſexdecim trinepotes, totidemque trineptes.

Siue, fratris conſanguinei, ſexdecim atnepotes totidemque atneptes.

Sororis conſanguineæ, ſexdecim atnepotes, totidemque atneptes.

Fratris vterini, ſexdecim atnepotes, totidemque atneptes: *ſororis* vterinæ, ſexdecim atnepotes, totidemque atneptes.

4°. Propatrui maximi triginta duo, totidemque proamitæ *prouunculi* maximi triginta duo, totidemque promaterteræ.

5°. Sexdecim propatruorum magnorum, ſexdecim filij, totidemque filiæ.

Sexdecim proamitarum magnarum, ſexdecim filij, totidemque filiæ.

Sexdecim proauunculorum magnorum, ſexdecim filij, totidemque filiæ.

Sexdecim promaterterarum magnarum, ſexdecim filij, totidemque filiæ.

6°. Octo patruorum magnorum, ſexdecim pronepotes totidemque proneptes.

Octo amitarum magnarum, ſexdecim pronepotes, totidemque proneptes.

Octo auunculorum magnorum, ſexdecim pronepotes, totidemque proneptes.

Octo materterarum magnarum, ſexdecim pronepotes, totidemque proneptes.

7°. Patrui, sexdecm abnepotes, totidemque abneptes.

Amitæ, sexdecim abnepotes, totidemque abneptes.

Auunculi, sexdecim abnepotes, totidem abneptes.

Materteræ, sexdecim abnepotes, totidemque abneptes.

8°. Octo propatruorum, sexdecim nepotes, totidemque neptes.

Octo proamitarum, sexdecim nepotes, totidemque neptes.

Octo proauunculorum, sexdecim nepotes, totidemque neptes.

Octo promaterterarum, sexdecim nepotes, totidemque neptes.

Septem autem illorum graduum, omnes personæ simul numeratæ, referũtur mille septingentæ, nonaginta duæ personæ, vt est verus textus, in d. l. Iurisconsultus ff. de gradib. & affinib. non vero mille septingentæ octuaginta quatuor, vt male quidam notarunt.

Sufficiunt autem, quæ dicta sunt, de graduum cognationis dinumeratione, quia hinc colligi potest, quomodo vlterius, si necesse foret, gradus numerari deberent. Si quidem, Iuris Ciuilis, regula est, generatam personã, nouũ semper gradũ adiicere, quod ita intelligi debet, vt singulæ generationes, singulos gradus faciant, licet vna tantum persona, ex proxima quaque generetur, nec refert, si in eadem generatione, seu gradu, plures esse

esse possint personæ.

Cæterum de rectis cognatis, **tam ascendentib.** quam descendentibus, vltra sextum vel septimum gradum curandum non est, cum natura, vltra illum gradum, vitam cognatorum consistere, non patiatur, vt dicitur in l. non facile 4. ff. de gradibus.

De diuersitate numerationis graduum Ciuili & Canonica. Cap. 6.

GRadus, eodem modo numerantur, inter rectilineos, vtroque Iure, Ciuili nempe, & Pontificio: & vtroque eodem iure inter rectilineos siue inter liberos & parentes, infinita, atque perpetua est nuptiarum prohibitio, quia id pudor naturalis, omnibus gentibus suasit. l. adoptiuus 4. §. seruiles, l. lege Iulia 44. §. nec distinguitur, l. nuptiæ 53. l. iuris gentium, vlt. ff. de ritu nupt. vbi dicitur, incestum committere, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxorem duxerit, l. nemini 17. C. de nupt. harmen. 6. §. 47. Genes. 2. Leuit. 18. Plato 8. de legib. & 8. de republ.

Itavt etiam natura ipsa, in brutis animantibus, nefas esse voluerit, & abhorruerit ad hujusmodi concubitu, qua de re Philosopus, lib. 8. de historia anim. Plinius lib. 8. cap. 13. Varro 2. de re rustica.

Licet apud Persas, permissæ legantur nuptiæ in rectilineis fuisse. Quinimo ex tali nefario

concubitu, magos gigni & procedere voluerint, vt Catullus his versibus, declarat

Nascetur Magus, ex Gelli Matrisque nefando
Coniugio, vt discat Persicum harruspicium,
Nam Magus ex patre, & gnato, gignatur oportet
Si vera est, Impia Persarum religio.

Idem refert harmen. lib.1. tit.1. §.15. Inde Mirrha apud Ouidium quæritur, sibi non licere thalamum ingredi parentis, his verbis 10. Metamorph.

------ Gentes esse feruntur
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, & pietas, geminato crescit amore.

Vide D. August. in cap. 18. Leuitici.

A latere vero, Ius Pontificium, aliter quam Ius Ciuile gradus numerat.

Diuersitatis ratio communiter redditur: quod Ius Ciuile consanguinitatis arborem considerat, tantum propter successiones, atque tutelas legitimas, in quibus, singulæ sufficiunt personæ, vt aliquis, non sine hærede decessisse, vel in tutela esse, dicatur, qui vnum habuerit tutorem: & sic Ius Ciuile, in gradibus computandis, omnes cognationis gradus refert ad eum, de cuius successione, tutela vel cura, queritur, vt nempe generata persona, nouum semper gradum adiiciat.

Ius vero Canonicum cognationem considerat coniugii causa, in quo cum duæ requirantur personæ, quæ secundum Euangelium, duo censentur esse in carne vna, can. ad sedem 35. q. 5. fit vt duę personæ collaterales, vnum faciãt gradũ.

Quoties ergo de successionibus tutelisve in terris Ecclesiæ quæstio habetur, seruatur Ciuilis graduum supputatio.

Cum vero vicissim, in terris Principum temporalium, propter nuptias, quæstio mouetur, obseruatur supputatio à Iure Pontificio proposita, in numerandis collateralibus, quibuscum tantum, nuptiæ possunt consistere, referendo ad communem parentem eas personas, de quarum nuptiis agitur. Et sic frater & soror, in primo gradu numerantur, non inter se, sed ad patrem collati, & horum filii, qui inter se Consobrini sunt, numerantur in secundo, ad communem parentem, nempe ad auum relati, & ita deinceps.

Cum ante nouellam Iustiniani 118. de hæredib. ab intest. ven. coll. 9. Iure Ciuili, seu per l. 12. tab. secundus ordo in successionibus, esset Agnatorum, tertius vero ex æquitate Prętoria, esset cognatorum: vt cognationis, ita Agnationis gradus numerati sunt.

Qua enim ratione Agnatorum, seu eorum, qui per virilem sexum nobis iunguntur, gradus quæruntur, eodem quoque modo, cognatorum, siue eorum qui per matrem, atque fœmininum sexum ducunt originem, numeratio graduum habetur. *Filius* enim emancipatus qui jure antiquo Agnatus non est, perinde in primo gradu ponitur, ac suus, siue Agnatus: Eodem modo frater vterinus, qui tantum cognatus est, Iure Ciuili est in secundo gradu, vt Iure Pontificio in primo, atque frater consan-

guineus, qui Agnatus est.

Quæstio vtilissima proponitur, quid obseruandum nempe sit, quoties Ius Pontificium & Ciuile, in statuendo, non conueniunt.

Communis resolutio est. Quod in materia, & causis Ecclesiasticis, vt in matrimoniis, leges seculares, non dedignantur sacros imitari canones, vt dicitur in nou. 6. quomodo opor. Ep. & reliq. cler. ad ordin. adduci coll. 1. nou. 83. vt clerici, apud propr. Episc. primum conueniantur, coll. 6. nou. 131. §. 1. de eccles. tit. coll. 9. l. sacris canonibus 45. Cod. de Episc. & cler. can. cum secundum Apostolum in fine ext. de secundis nuptiis, cap. at si clerici, ext. de Iudic. Et ita in ditionibus principum secularium, seruantur canonica iura, in causis Ecclesiasticis, vt in matrimoniis.

E diuerso, in materia prophana, vt in successionib. & tutelis, in terris Ecclesiæ, vt in Romania Italica, obseruatur principum secularium, & Iuris Ciuilis dispositio; Quando scilicet Euangelicis atque Canonicis Decretis non aduersatur, can. ad sedem 35. q. 5. Idque etiam in foro conscientiæ, vt pluribus refert Doctor Angelicus 1. 2. q. 96. art. 4. in proœmio decret.

De computatione graduum ſecundum Ius Ciuile. Cap. 7.

A Iure Ciuili duæ proponuntur regulæ, quib. facilis ſit numeratio graduum, ſiue in rectilineis, ſiue in collateralibus.

Regula prima, *tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, vna dempta*, ſiue, *Tot ſunt gradus, quot ſunt generationes*.

Semper enim generata perſona, ſcilicet in rectilineis, ad perſonam de cujus cognatione quæritur, gradum adiicit. §. hactenus, inſtit. de gradib. cognat. d. l. ICtus. §. nam quoties. ff. de gradib. & affinib.

Non quod, tertius 4. 5. & cæt. filius, ſit tertio 4. 5. aut vlteriori gradu parenti. *Quia*, ſinguli ad Petrucium ſeu patrem relati, vna tantum generatione cenſentur. Sicut etiam nepotes, ex pluribus filiis, aut filiabus geniti, in ſecundo gradu habentur. *Quia* à nepote vel nepte, ad auum vel auiam, tres perſonæ, & duę generationes, reperiuntur: *Sic primogenitus* frater, à decimo fratre, non fit in decimo gradu, ſed tantum in ſecundo eo Iure Ciuili: Et ſic quod dicitur generatam perſonam adiicere gradum, intelligitur quando, generata, alteram generat cum enim plures fratres non differant nomine, ideo gradum non augent.

Regula ſecunda, *tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, communi ſtipite dempto.*

Quæ regula,ſeruit pro collateralibus, eo Iure Ciuili, tam in linea æquali, vt inter Petrucium & fratres atque ſorores, vel Conſobrinos eius. Quam *inæquali*, vt cum vnus magis diſtat à communi ſtipite quam alius,veluti, inter Petrucium & eius patruum, amitam,auunculum, materteram, in collateralibus aſcendentibus, *Vel* nepotem neptemve,ex fratre aut ſorore,& aliis in collateralibus deſcendentibus.

Siquis vero ſcire velit, quoto gradu diſtet ab alio, verbi gratia, à fratre; debet incipere, *à ſua perſona*, aſcendendo ad patrem communem ſtipitem,& cum eo deuenerit,debet deſcendere ad fratrem,& dicere, *Ego, pater, frater*, ſunt tres peſonæ,dematur communis ſtipes,nempe pater,remanebunt duę perſonæ,ſicque duobus diſtabit gradibus Petrucius & eius frater.

Idem in linea collaterali inæquali, vt inter Petrucium & patruum, hoc modo numerando.Ego, *pater, auus, patruus*, ſunt quatuor perſonæ, dematur communis ſtipes, nempe auus, remanebunt tres perſonæ, ſicque Petrucius & eius patruus,diſtabunt tribus gradibus Iure Ciuili, & ita de ſimilib.

Quomodo iure Pontificio gradus cognationum computentur. Cap. 8.

AD faciliorem computationis graduum cognitionem, ſecundum Ius Canonicum habendam, tres proponuntur regulæ: Quarum prima, eſt pro rectilineis tam aſcendentibus, quam deſcendentibus: ſecunda, pro collateralibus, æqualiter à communi ſtipite diſtantibus: tertia, pro etiam collateralibus, ſed in linea inæquali.

Regula prima, vna eademque eſt, cum priore Ciuili, quandoquidem.

Primò, vtroq; iure tot ſunt gradus, quot ſunt generationes. Itavt ſi de patris ad filium interuallo & diſtantia quæritur, quomodo ſcilicet vna demi perſona poſſit; Reſpondetur, alter vltra dempta, vnam tantum ſupereſſe, ſicque vno gradu diſtare Petrucium à patre, item à filio.

Secundò, quia in infinitum perpetua eſt coniugii prohibitio. l. adoptiuus 14. §. ſeruiles, l. lege Iulia 44. §. nec diſtinguitur. l. nuptiæ 53. l. iuregentium vlt. ff. de ritu nupt. harm. 6. §. ergo non omnes, inſtit. de nupt. Geneſ. 2. Leuit. 18. Plato 8. de legib. & 8. de republ. Itavt ſi Adam nunc viueret, quia communis eſt omnium noſtrum parens, ab eoque deſcendimus, nullam ex mulieribus nunc viuentibus ducere poſſet, ſecundum gl. poſt. text. in d. §. ergo non omnes inſtit. de nupt. Couarruuias vero, tom. 1. part. 2. c. 6. in

fine putat hāc prohibitionem vltra vigesimum gradum non extendi; Quæ opinio refragatur dispositioni, can. 17. & 18. causæ 35. q. 5.

Secunda regula. Quoto gradu, vterque distat à communi stipite, eodem gradu inter se distant, cap. quod dilectio 3. c. tua nos 7. extra de consf. & affinit.

Contra Francisci Hottomanni alienam à fide Catholica opinionem in c. 3. de castis nuptiis, vt fratres, sicut distant vno gradu à patre, per primam regulam, ita inter se: Item, sicut Consobrini ab auo distant duobus gradibus, per eandem primam regulam, ita ab inuicem.

Et ita licet fratres, duobus, & Consobrini quatuor distent gradibus, Iure Ciuili, iure tamen Pontificio, *Fratres* vno, *Consobrini*, duobus tantum remouentur gradibus, vnde communiter dicitur, ***duos legales gradus facere vnum gradum canonicum.***

Ratio diuersitatis illius, ex eo venit, quod Ius Canonicum numerat collaterales, tantum ab vna parte ad communem stipitem, & cum eo peruenerit ascendendo, ibi consistit, nec descendit ad alium collateralem. Quod facit Ius Ciuile, & ita, quoto gradu, vnus ex collateralibus distat à communi stipite, per dictam primam regulam, eodem gradu Iure Pontificio distant ab eodem collaterali, ex ratione iam reddita. Quod scilicet Ius Canonicum numerat cognationem, eiusque arborem, considerat, ratione matrimonii, cuius gratia, duæ requiruntur personæ, quæ duo in carne vna censentur, d. can. ad sedem 35. quæstione 5.

Et hac

Et hac ratione geminantur puncta in collateralibus, in suppositis notis Arithmeticis, vt in cellula fratris & sororis, superior numerus vnum, inferior nota, duo representat.

Quorsum autem puncta, & notæ Arithmeticæ, quæ supra habentur referunt gradus secundum jus Pontificium; notæ vero inferiores Arithmeticæ, deuotent gradus, secundum jus Ciuile: ratio dicitur esse, ipsius juris Pontificij amplior dignitas, quæ ex fine deprehenditur, quandoquidem ius Pontificium, actiones Christianorum ad finem æternæ beatitudinis dirigit; jus autem Ciuile ad finem societatis politicæ.

Tertia regula. *Quoto gradu remotior distat à communi stipite, eodem gradu, inter se distant* cap. cum vir à stipite ë de cons. & affinit. Sic Petrucius distat à patruo, auunculo, amita & matertera duobus gradibus, quia eodem gradu distat ab auo communi eorum parente, per d. primam regulam: similiter idem Petrucius, distat à nepote ex fratre vel sorore, duobus gradibus, quia nepos ille, distat ab auo suo, qui est pater Petrucij, communisque eorum stipes, duobus gradibus, per eandem primam regulam.

Ad quem vsque gradum prohibitio nuptiarum sit in collateribus. Cap. 9.

ANte innocentium tertium, nuptiæ in collateralibus prohibebantur vsq; ad septimum gradum consanguinitatis, vt refertur in Can. 16. 19. 21. causæ 35. q. 2. d. can. ad sedem ead. 35. q. 5. & notatur in cap. non debet 8. ext. de cons. & affinit.

Nunc autem eiusmodi prohibitio inter eos collaterales, qui quasi parentum loco non habentur, cuiusmodi sunt, quos cognatos, vulgo *Cousins* appellamus, non extenditur vltra quartum gradum inclusiue, siue quintum exclusiue, d. cap. non debet.

Bene autem putauit Innocentius tertius in d. c. non debet, quaternarium numerum conuenire prohibitioni nuptiarum, multa namque quaternario numero perficiuntur, dominantur enim in homine quatuor humores, calidum videlicet, frigidum, humidum & siccum; Quatuor etiam sunt Elementa, terra, aqua, aër & ignis, Quatuor iejunij tempora, can. 1. dist. 76. Quatuor Euangelistæ, & Ecclesiæ Doctores cap. gloriosus de reliquijs & vener. sanctorum in 6. Quatuor flumina irrigantia Paradisum voluptatis Genes. cap. 2. Quatuor etiam concilia magna commendantur in Ecclesia can. 1. dist. 15. nempe Nicenum 1. à Constantino magno, anno 325. Constantinopolitanum 1. à Theodo-

ſio Seniore, anno 381. Epheſinum 1. à Theodoſio Iuniore, anno 430. & Calcedonenſe 1. à Martiano, anno 442. circa quæ quatuor concilia, tanquam circa quatuor cardines, Eccleſia fulcitur auth. de Eccleſ. titul. in princ. coll. 9. Quatuor vidit D. Ioannes animalia, plena oculis ante & retro in Apocal. cap. 4. Quatuor ſunt plagæ mundi Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio, totidemque venti magiſtrales, Hieremiæ cap. 49. Quatuor Patriarchatus, nempe Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Antiochenus: qui repręſentant quatuor Euangeliſtas c. ſcriptum de elect. c. antiqua de priuileg. Quatuor numerat Cherubin totidemque rotas Ezech. 10. quatuor minima terræ, nempe formicæ, lepores, locuſtæ, veſpertiliones, prouerb. 30. quo loci quatuor dicuntur eſſe inſatiabilia nempe infernus, os vulnæ, terra & ignis. Quatuor ſunt viæ incognitæ c. ex ſtudijs, de præſumpt. videlicet, via aquilæ in cœlo, via colubri ſuper terram, via nauis in mari, & via iuuenis in adoleſcentula, (vt vertit Nicolaus de Lyra) hoc eſt Chriſti Domini, in vtero Beatę Virginis, de quo Propheta Hieremias, cap. 30. nouum creauit Dominus ſuper terram, mulier circundabit virum, quæ ſufficere mihi viſa ſunt, de quaternario numero.

Inter alios vero collaterales, qui ex religione nominum (vt loquitur D. Ambroſius Epiſt. 66. ad Paternũ) quaſi parentum loco habentur, cuiuſmodi ſunt Patruus, vel auunculus, & neptis ex fratre vel ſorore. Item ami-

ta, vel matertera, cum nepote ex fratre vel ſorore, & deinceps, in infinitum, perpetua eſt nuptiarum prohibitio, veluti inter rectilineos, nuſquam conſiſtere nuptię poſſunt. *Cuius enim filiam ducere non poſſum in vxorem, nec eius neptem permittitur.* Inquit Iuſtinianus in §. item amitam Inſtit. de nuptijs, & habetur in l. per adoptionem 17. §. fin. l. ſororis proneptem 39. l. etiamſi 56. ff. de ritu nupt. l. nemini liceat 17. C. de nupt.

Ratio communis redditur, Quod ſicut atneptis non poteſt Atauo nubere, licet ei ſit in quinto gradu, ita nec ejus filio, quia filius vna eademque perſona cum patre habetur, vt D. Ambr. pluribus demonſtrat loco pręlaudato.

Cæterum, vt melius quę ſupra ſunt propoſita percipiantur, & poſſint omnes auribus, & oculorum inſpectione, perfectiſſimam graduum doctrinam adipiſci, figuram arboris cognationis naturalis, exarandam, curaui: In qua, quot quiſque gradibus à Petrucio diſtet, connotatur.

Veritas enim, oculata fide magis quam per aures, animis hominum, infigitur, iuxta Lyrici latini Poëtæ, dictum in arte Poëtica.

Segnius irritant animos, demiſſa per aures
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Aures namque, minus perſuadent hominibus, quam oculi, vnde Plautus in truculento, pluris cenſet oculatum vnum teſtem, quam decem auritos: Indeque receptum eſt vt teſti, de auditu, non credatur, qua de re Nicolaus Perrenotus, tractatu de teſtibus, ſect. 37.

289

io
u-
a-
n-
L.
c,

m
on
b.
ci-
gl.
ts,

it,
as,
li-
m
ua
pt.

De affinitate tractatus 2.

Quid sit affinitas. Cap. I.

VTroque Iure Ciuili nempe & Pontificio affinitas generaliter dicitur *quasi plurium ad vnum finem vnitas: siue, Duarum cognationum inter se diuersarum, per nuptias coniunctio, & vnius ad alterius finem accessio*, L. non facile §. affines ff. de gradib. Abb. in c. quod super, ẽ de conſ. & affinit.

Ciuilis vero affinitas deffinitur *perſonarum proximitas, ex Iuſtis proueniens nuptiis* l. non facile 4. §. affines, & §. ſciendum ff. de gradib.

Canonica Affinitas, *eſt perſonarum proximitas ex quocumque coitu procedens* cap. I. & gl. in cap. diſcretionem 6. in verbo, nec affinitas, ẽ, de eo qui cogn. conſ. vx. ſuæ.

Ex quibus definitionibus liquido conſtat, ſola animorum coniunctione, vt in ſpõſalibus, non contrahi affinitatem, ſed tantum, publicam honeſtatem, ob quam tamen connubium prohibetur, licet facile diſpenſetur l. ſi qua mihi 12. l. adoptiuus 14. In fine ff. de ritu nupt. §. ſi vxor, Inſtit. de nupt.

De vtilitate cognitæ affinitatis. Cap. 2.

PRima cognitionis affinitatis vtilitas, est respectu testimonij dicendi, quod affinis contra affinem testimoniũ inuitus dicere non cogatur d. l. ictus in princ. ff. de gradib. & affinib. l. lege Iulia 4. l. in legibus ff. de testib. Paulus 15. sert. 15. §. 2.

Secunda ob matrimonia, Nam Iure Ciuili inter Rectilineos, Iure Pontificio, etiam inter collaterales consanguineos, prohibitio nuptiarum est iisdem gradibus, l. non facile 4. §. hos itaque 7. ff. de gradib. l. nemini liceat 17. Cod. de nuptijs.

Quotuplex sit genus affinitatis. Cap. 3.

GLossa in cap. non debet, in verbo in secundo, ē de consanguinit. & affinit. enumerat tria genera affinium, secundum quæ nuptiæ prohibebantur.

In rectilineis quidem in infinitum, sicut inter rectilineos consanguineos: In collateralibus, in certis gradib. vt in primo genere, vsque ad septimum gradum: In secundo genere, vsque ad quartum gradum: In tertio genere, vsque ad secundum gradum inclusiue.

Quod postea, ex euidenti necessitate immutatum est, tantumque, in primo genere seruata fuit prohibitio inter collaterales, vsque ad quartum gradum inclusiue, ceu quintum ex-

clusiue, vt in consanguineis collateralibus can. nulli 35.q.2.can.quædam lex 35. q.3. d. cap. non debet, ë de cons. & affin. Excepta affinitate, ex illicito coitu contracta, quæ non extendit prohibitionem, vltra secundum gradum, ex Synodo Tridentina sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.

Primum genus contrahitur vnius personæ interuentu *persona enim addita persona, per carnis copulam, primum genus affinitatis constituit.* Vt si frater meus, Caiam acceperit in vxorem, Caia erit mihi & omnibus consanguineis fratris mei, in primo genere affinitatis.

Secundum genus, interuentu duarum personarum contrahebatur *persona enim, per carnis copulam addita personæ, primi generis affinitatis, constituit secundum genus.* Vt si mortuo fratre meo *Caia*, quæ erat in primo genere affinitatis, nupserit Sempronio; Sempronius, erit mihi, & omnibus consanguineis fratris mei, in secundo genere affinitatis.

Tertium genus, mediantibus tribus personis contrahebatur *persona enim addita personæ per carnis copulam, personæ secundi generis affinitatis, tertium genus constituit.* Vt si mortua Caia, Sempronius duxerit Mæuiam in vxorem, Mæuia erit mihi, & omnibus consanguineis fratris mei, in tertio genere.

Quomodo fiat computatio affinitatis.
Cap. 4.

QVatenus faciliori negotio intelligatur, qui affines, & inter eos, gradus computentur, quinque regulas subijciemus cum Canonistis.

Prima regula, *persona addita personæ per carnis copulam, mutat genus attinentiæ, sed non gradum*, gl. in d. cap. non debet ë de consanguin. & affinit. Sicut enim frater meus, est mihi in primo gradu consanguinitatis, ita, Caia eius vxor est mihi in primo gradu affinitatis: Quæ mutat genus attinentiæ, quia est tantum mea affinis, frater vero, est meus consanguineus, & sic Caia mutat genus attinentiæ.

Secunda regula. *Affinitas contrahitur inter maritum, & consanguineos vxoris, & contra, inter vxorem & consanguineos mariti*, cap. quod super his 5. ë de consang. & affinit. Et sic frater meus, defuncta Caia, quondam vxore sua, non poterit matrimonio iungi illius Caiæ sorori, aliiue eius consanguineæ infra quartum gradum conjunctæ, in collateralibus, & in infinitum in rectilineis d. c. quod super his, ë de consang. & affinit. *sed inter consanguineos vtriusque, sive mariti, & vxoris, nulla est affinitas impediens matrimonium.* §. mariti tamen filius, tit. de nupt. apud iustin. L. generali mandato 34. §. inter conpriuignos ff. de ritu nupt.

Tertia

Tertia reg. ***Quoto gradu consanguinei vxoris, sunt ipsi vxori iure consanguinitatis, eodem gradu sunt ipsius marito, iure affinitatis***, & contra. ***Quoto gradu cōsanguinei viri sunt ipsi viro*** iure consanguinitatis, ***eodem gradu*** sunt ipsius ***vxori iure affinitatis***. Quia vt dicitur in can. porro 35. q. 5. Maritus & vxor sunt vna caro, vnde fit, vt non sit alia computatio graduum inter affines, quam est inter consanguineos. Et hinc vulgo dicitur in d. l. non facile 4. §. nomina. ff. de gradib. & aff. nullos esse gradus affinitatis, Quia nempe, ***Quoto gradu consanguineus meus est mihi iure consanguinitatis, eodem gradu, eius vxor, est mihi iure affinitatis.***

Quarta reg. ***Sicut inter Rectilineos, siue ascendentes & descendentes consanguineos, nuptiæ prohibentur*** in infinitum, ***ratione consanguinitatis***, ita ***inter rectilineos affines*** d. l. non facile 4. §. hos itaque ff. de gradib. d. l. nemini liceat 17. C. de nup.

Quinta regula, ***sicut inter collaterales consanguineos nuptiæ prohibentur vsque ad quartum gradū inclusiue, seu, quintum exclusiue. Ita inter collaterales affines***, can. ego dixi, cum tribus seqq. 34. q. 2. can. si homo 35. q. 3. cap. discretionem, cap. pen. & ibi Canonistæ, ē, de eo qui cogn. cons. vx. suæ, cap. præterea 2. ē de spons. & matr.

Nisi ex illicito coitu nascatur affinitas, quia ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 4. in decretis reformationis matrimonij, impedimentum est tantum ad secundum gradum.

EXposita qua potuit facili breuitate naturali cognatione, & omissa Ciuili, quæ fiebat per vtramque adoptionem, quia nunc, vsus illius, nullus est per Galliam; traditisque, ad quasi cognationem, seu affinitatem pertinentibus, superest tertia & vltima pars huius operis, quæ occupatur circa triplicem causam spiritualis cognationis, ex baptismo nempe, confirmatione & Catechismo cap. 1. & fin. de cogn. spir. in 6. Magister sentent. lib. 4. dist. 42. & tota causa 30. q. 1. 3. & 4.

Propter quam cognationem spiritualem ex baptismo quidem & confirmatione, quæsitam, contrahendum impeditur matrimonium c. 1. de cogn. spir. in 6. Et contractum dirimitur d. c. 1. §. fin. & c. vlt. de cogn. spir. in 6. can. non plures, de consecr. dist. 4.

Nisi forte pater ex necessitate, can. ad limina, 30. q. 1. vel ignorantia, forte baptisauerit cap. si vir, ë, de consang. spirit. Nam scienter & absque necessitate, dispensatio, aut separatio, requiritur, Abb. in d. cap. si vir, per gl. in can. nosse, 30. q. 1.

Non autem ex Catechismo, quod impedit quidem contrahendum, sed non resoluit contractum cap. 2. eod. in 6. & cap. contracto 5. ë de cogn. spirit. Licet Hugo, in can. peruenit, 30. q. 1. can. si quis, 30. q. 4. can. in catechismo, de consecr. dist. 4. eius opinionis fuerit, vt etiam

contractum derimeretur. Nam filiatio, ceu spiritualis cognatio, non potest dici, nisi sequuta regeneratione, quę non est nisi per baptismum, non autem per solum catechismum.

Quid sit cognatio spiritualis. Cap. I.

COgnatio spiritualis definitur, *quedam attinentia, proueniens ex sacramenti collatione, vel ad sacramentum detentione*, gl. in cap. 1. in verbo spiritualem, de cogn. spir. in 6. Abb. ad rubr. eod. Astesanus lib. 8. cap. 18. Host. in summa. §. 2. *Vel*, vt Baldus in fine. l. si quis per calumniam Cod. de nupt. *Est quedam animarum coniunctio mediante Deo.*

De cognatione spirituali ex baptismo.

Cap. 3.

SIcut cognatio naturalis oritur per natiuitatem carnalem, sic spiritualis per natiuitatem spiritualem: veluti, in sacramento baptismi, renasci, ceu iterum nasci quisque Christianorum dicitur, iuxta quod Christus Dominus, Ioann. 3. dixit, Quod nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit ingredi in regnum cœlorum, can. firmissime, cau. proprie, de consecr. dist. 4. cap. debitum, de bapt. in antiq. can. omnes 30. q. 1. cap. fin. de cogn. spirit. apud Gregor.

Priusquam autem, quæ singulatim ad tres species cognationis spiritualis pertinent, referamus, quasdam generaliter quæstiones resoluemus, ex Iure Pontificio, ad baptismum & confirmationem, pertinentes, à præsenti subiecto non alienas.

Imprimisque, causa baptismi. *Prima* erit quęstio, *An ille habendus sit compater, qui domi baptisauit, an ille, qui consequenter in Ecclesia leuauit.*

Respondetur compatrem haberi eum, qui domi baptisauit, non eum, qui postea tenuit in Ecclesia.

Ratio in numerato est, nempe characterem fuisse impressum domi, propter quem, fit regeneratio spiritualis, quę non reiteratur in Ecclesia, gl. in can. Presbyteri distinct. 48. Angelus in summa in fine sexti impedimenti.

Quæstio 2. *An poterit cognatio spiritualis ex baptismo, quæri per procuratorem.*

Resp. Canonistas, trahi in diuersas opiniones.

Negatiuam sententiam tuentur & tenent Panormitanus, & alij, in cap. veniens 6. de cognit. spirit. dd. in l. Gallus. §. forsitam. ff. deliberis, & posth. hæred. instit.

Rationem referunt suæ opinionis, quod loquendi formulæ vsitatæ, actum proprium & personalem denotant. Alias enim Patrinus dicitur *leuare*, vt in d. c. veniens 6. de cogn. spirit. Alias baptisatum *suscipere de sacro fonte*, vt in c. si vir 2. ext. de cogn. spir. Alias, *tenere*, vt in c.

contracto matrimonio 5. eod. Alias, *propriis manibus sustinere, vel tenere*, can. de his, can. ad limina 30. q. 1.

Affirmatiua verior est mihi opinio, maxime cum in principibus viris consuetudo recepta sit, per procuratorem, ipsos leuare de sacro fonte, vt Clemens VIII. Patrinus fuit, per suos Legatos, Christianissimi nostri Regis Ludouici XIII. vid. Perusinus in cap. 1. de cognat. spir. in 6.

Quæstio 3. *Vtrum cognatio spiritualis, quæri possit per vniuersitatem.*

Resp. Doctores in diuersas trahi sententias.

Partem negatiuam tenet Federicus de Senis, ob id quod vniuersitas non baptiset, neque baptisetur, can. baptismate, de consecr. dist. 4. cap. Romana, §. vniuersitatem, & cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.

Affirmatiuam tuetur opinionem Panormitanus, si per syndicum contrahatur, quia dispositio concepta in vniuersitatem, resoluitur vt conceruat personas singulariter de vniuersitate, licet actus non cadat in vniuersitates, cap. nouerit, cap. graue. de sent. excomm. in 6.

Quæstio 4. *An maritus cum vxore simul, filium tertij seu titij, vel pater aut mater leuare possint filium suum baptisandum.*

Resp. non posse. Quia altero suscipiente, alter efficitur compater, can. fin. 30. q. 4 hinc dissolutum fuit matrimonium inter Chilpericum Regem Galliæ, & Adoüeram eius vxorem, quod illa, ex sacro fonte leuasset

filium suum, dolo & fraude Fredegondis Pellicis eiusdem Regis inducta, quatenus eam sicut Rex postea fecit acciperet in vxorem, vt in eiusdem Chilperici vita referunt omnes Annalistæ Galliæ.

Quęstio 5. *An Petrucius possit connubio iungi, cum duabus, quæ inter se commatres sint.*

Resp. distinguendo, videlicet, si ipsę mulieres commatres erant, antequam vnam ex illis nuptiali thalamo sibi iungeret, posse vnam post alteram vxores accipere. Si vero vna, alterius commater fuerit, postquam Petrucius priori, coniugio esset coniunctus, non poterit vxore defuncta, indiuidua, cum alia, vitæ consuetudine, contineri, can. 1. & seq. can. post vxoris, can. qui spiritualem 30. q. 4. Quia tunc esset commaternitas propria, non coniugis, commatres enim vxoris, non suas ducere potest gl. in d. can. post vxoris 30. q. 4.

Quæstio 6. *Vtrum nouerca baptisati, nubere possit leuanti.*

Resp. affirmatiue, Quia nouerca, nullam dedit baptisato natiuitatem, Nec refert, si infans baptisatus fuerit, postquam pater eius, illi nouercę communicasset spirituales actiones, hoc est, facta sit illi, vna caro, vt dicit gl. in can. qui spiritualem 30. q. 4. videretur enim potius communicare alias suas passiones, gl. in c. 1. in verbo, cognitam, de cognat. spir. in 6. Abb. in c. Martinus 4. ext. de cogn. spir.

Quæstio 7. *Erit circa concubinam, siue baptisantis, siue leuantis, num videlicet nubere possit*

pi-
m
ir.
m
fi-

er

is,
ia-

m-
ia-
,&
in
6.

ur

on-

in-
gn.

ti,

in.
ro-
ad

fil
lic
fic
in
Ar
(
cu
I
co
nu
po
ter
pri
vx
fue
ris,
coı
ma
in
C
poſſ
R
dit
bap
uer
eſt,
ſpir
con
ver
Ma
C
ſa

baptisato, parentibusne eius.

Resp. affirmatiue, quia non conuenit spiritualem cognationem extendi, ad illicitum coïtum c. 1.& d. c. Martinus 4. ë de cogn. spir.

Quæstio 8. Num, si titius leuauit filium meum è salutaribus vndis, vicissim ego, filium eius leuare possim.

Resp. Affirmatiue, vt est textus in c. super eo 3. ë, de cogn. spir. & ibi Abb. in 2. notab.

Quæstio 9. An inter parentes baptisantis, vel leuantis & baptisatum, spiritualis sit cognatio, ex eo quod sit cum filijs eorum.

Resp. Negatiue, quia parens spiritualis, nempe baptisans, vel leuans communicat cognationem spiritualem sequúta copula, coniugi, & filijs, non vero ascendentibus, gl. in d. c. 1. in verbo contractum, in fine de cogn. spir. in 6.

Inter quas personas spiritualis contrahitur cognatio, ex baptismo. Cap. 3.

IVre Pontificio, inter decem personas, contrahi spiritualem cognationem constat.

Primo, inter parentes baptisati, & baptisantem nonobstante casu necessitatis c. 1. de cogn. spir. in 6.

Secundo, inter eosdem parentes baptisati, & leuantem, c. veniens. 6. ë de cogn. spir.

Not. obiter est, leuantẽ siue patrinũ, aliquando dici leuare, d. c. veniens, quandoque propriis sustinere manibus can. de his & can. ad

limina 30. q. 1. aliquando suscipire de fonte sacro c. si vir 2. extr. decogn. spirit, alias tenere, vt in c. contracto matrimonio. eod.

Tertio, inter eundem parentem baptisati, & baptisantis coniugem, iam cognitam c. Martinus 4. extr. de cogn. spir. can. sciscitatur can. si quis vnus 30. q. 4.

Quarto, inter eundem parentem baptisati, & leuantis siue tenentis coniugem, iam cognitam carnaliter, non postea cognitam d. c. Martinus 4 extr. de cogn. spirit

Nam licet prius fuerit vxor, si tamen nondum fuerat cognita non contrahitur spiritualis cognatio, quæ non transit nec retrotrahitur in vnionem spiritus præcedentem, per vnionem carnis sequentem, can. post vxoris 30. q. 3. can. qui spiritualem can. post obitū 30. q. 4. Abb in d. cap. Martinus, hinc a Canonistis quatuor hi excogitati versus fuerunt.

Quæ mihi, vel cuius, mea natum fonte leuaui
Hæc mea cōmater fieri, mea non valet vxor,
Si qua mea natum, non ex me fonte leuauit
Hāc post fata mea, non inde vetabor habere.

Sic inter baptisati parentem, & concubinam, siue baptisantis, siue leuantis, matrimonium prohiberi non poterit, quia minime conuenit, vt spiritualis cognatio, extendatur ad illicitam coniunctionem c. 1. & d. c. Martinus extr. de cogn. spirit. solus enim vir & vxor, sibi communicant actiones spirituales, non autem passiones corporis, can. si quis vnus, 30. q. 4. & d. c. Martinus.

Quinto,

Quinto, inter baptiſatum & baptiſantem c. 1. verſ. & eadem, & ibi gl. de cognat. ſpir. in 6.

Sexto, inter babtiſatum, & coniugem baptiſantis, carnaliter cognitam ante baptiſmum d. c. 1. de cogn. ſpir. in 6.

Septimo, inter baptiſatum, & filios baptiſantis quomodocumque, ante vel poſt ſuſceptos c. tua nos 7. extr. de cogn. ſpir.

Octauo, inter baptiſatum & leuantem d. c. 1. de cogn. ſpir. in 6.

Nono, inter baptiſatum, & leuantis coniugem, ante carnaliter cognitam d. c. 1. de cogn. ſpir. in 6.

Vlt. inter baptiſatum, & leuantis filios primi gradus ante vel poſt genitos d. c. 1. extr. de cognat. ſpir. can. Pytacium, & gl. in can. ita diligere 30. q. 3. Non vero inter baptiſatum & nepotes leuantis, quia de illis non fit mentio in prohibitione.

Hodie, prout decreuit ſtatuitque ſacroſancta Synodus Tridentina, ſeſſ. 24. de refor. matrimonij cap. 2. non contrahitur ſpitualis cognatio, niſi inter de ſacrofonte leuantes & baptiſatum ipſum, & ipſius patrem & matrem, necnon inter baptiſantem & baptiſatum baptiſatique patrem ac matrem can. ſuper quibus can. Pyſtacium & can. fin. 30. q. 3. c. 1. c. ſuper, extr. de cogn. ſpir. c. 1. d. eod. in 6. Non autem, cum aliis antea enumeratis perſonis: vnde ſublatæ ſunt multæ diſputationes, inter filios patrinorum, & alias perſonas, de quibus

Canoniſtæ, in d. cap. Martinus. de cogn. ſpir. in antiquis.

Præterea, animaduertendum eſt, Matrimonium minime prohiberi inter ſex dextras perſonas, nempe inter baptiſantem, coniugem, liberoſque eius, & inter leuantem coniugem liberoſque eius, quia inter eos, nulla eſt cognatio ſpiritualis.

Primo, quia edictum de matrimonio non contrahendo, eſt prohibitorium cap. cum ad ſedem extr. de ſponſ. & matrim. quod cum nullam faciat mentionem ſex illarum perſonarum, ideo cenſentur iure matrimonium inire poſſe.

Secundo, quia compaternitas, non eſt niſi inter generatum ſpiritualiter, parenteſque eius, & generantes ſpiritualiter, qualis eſt baptiſans & leuans, inter enim patrem naturalem atque matrem, & baptiſantes, leuanteſque, eſt compaterditas & commaternitas, non vero inter baptiſantes, & leuantes ſolos, quia non eſt aliquis ex illis, qui primam natiuitatem dederit procreando.

De cognatione ſpirituali ex Confirmatione. Cap. 4.

NOn ſolum baptiſmali vnda, & regeneratione, ſed etiam confirmationis ſacramento, ſpiritualis cognatio corroboratur, in quantum ſcilicet, confirmatio ſimilitudinem

habet, cum baptismo, nempe quod confirmetur illa regeneratio acquisita in baptismo, vt est gl. in cap. fin. de cognat. spirit. in 6. Ita enim conjuncta sunt hæc duo, vt vnum ab altero, nisi morte præueniente, separari non debeat, can. 1. & can. de his, de consecr. dist. 5.

Quæritur primo. Cur in arbore cognationis spiritualis ex confirmatione, nulla reponatur cellula, *vxoris* confirmantis, quandoquidem in arbore cognationis spiritualis ex baptismo, reponatur.

Resp. rationem diuersitatis esse, quod baptismus conferri possit ab omnibus, confirmatio vero à solis Apostolorum successoribus, Deo amabilibus sanctissimis Episcopis, can. de his, de consecr. dist. 5. Qui vxorem non habent, can. placuit Episcopos, dist. 32. Cum nequidem, cum mulieribus eis habitare liceat, can. interdixit ead. dist. 32. vnde si suadente Diabolo, Episcopus cohabitaret carnaliter, cum à se confirmata, majus peccatum haberet.

quod vero attinet ad liberos confirmatis, id fieri potest, siue ex præcedenti matrimonio habuerit, vt D. Hilarius Pictauiensis Episcopus: vel etiam vulgo quæsitos, atque spurios siue incestuosos c. debitum, de bigamis, apud Greg.

quæritur secundo. An cognatio spiritualis ex confirmatione, possit per procuratorem quæri.

Resp. Canonistas non conuenire. Namque Barthol. negatiuam opinionem tuetur in l. Gallus. §. forsitan. ff. 28. de lib. & posth. hær. inst. Et Baldus in l. si quis per calumniam in verbo suf-

cepit.C.de nupt.quia per ſe requirit proprium factum, atque præſentiam perſonæ, Cum Philippo Franco in c.1. de cogn. ſpir.can. de his 30. q. 1.

Ipſe vero Baldus in l. poſt mortem ff. de adopt.affirmatiuam opinionem deffendit,cum gl.in can. honorantur 32.q. 2. quæ allegat in argumẽtum, quod matrimonium per procuratorem contrahi poteſt, cap.fin. de proc.in 6. quæ duo matrimonia æquiparantur in iure, vt in cap. quoniam frequenter. §. porro, vt lite non conteſt. non proced. ad teſt. recept. Euerardus in locis legalibus, loco à matrimonio carnali ad ſpirit. 33. Abb.in d. c. veniens 4. ë. de cogn. ſpirit.

quæritur generaliter, An filius ſpiritualis teſtis eſſe poſſit fauore Patrini, matrinæue.

Reſp. affirmatiue cum Baldo in l. parentes, C.de teſtib.Negatiue, cum Iaſone in l. generaliter.ff.de in ius voc.& textu in can. ita diligere 30. q. 3. ob mutuum ſcilicet, inter ipſos maximumque amorem.

quæritur generaliter, An Patrinus matrinaue, filios ſuos ſpirituales, alere teneantur. Et contra.

Reſp, Affirmatiue cum Baldo in Auth. niſi rogati.C. ad S. C. treb. num.19.vt præterea,tenentur curare, vt inſtituantur in doctrina ſana, & fide patrum noſtrorum,can.vos ante omnia, de conſecr. diſt.3.

DE cognatione ſpirituali ex Catechiſmo dictum prius fuit in fine tituli, de cognatione ſpirituali.







